UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis Presbyteri, Scripturæ Selectæ

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Judicium, materia Orationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**

Visual Library

A devotiſſimo, ac ſapientiſſimo Idiota A dicta eſt ſanctiſſima Virgo, ſpes deſperatorum. Et meritò: quos enim non poteſt ſalvare divina juſtitia, ait Anſelm. ſalvat Virginis pietas, ac miſericordia: Hinc D. Ignatius: Impoſſibile eſt, inquit, aliquem ſalvari peccatorem, niſi per tuũ, ô Virgo, auxilium, & favorem. Et Bernardus ipſe: Neſcirem quonam refugerem, quidnam ſperarem, quomodo me ſalvarem, ſi non me totum Mariæ gratiæ B commendarem.

*Idiot. de laud. B. Virg.*
*S. Ignat. in epiſt. ad B. Virg.*
*S. Bern. l. de dulced. anima.*

¶ Huic tandem ſine fine utili mortis materiæ finem imponamus, ſed non ejus meditationi, cujus utilitates jam fuſiùs explicatas, in hæc verba Petrus Damianus perſtringit: Hoc, & hujusmodi in corde verſare frequenter. Quid aliud eſt, quàm lenocinantia blandimenta reſpuere; mundo repudium dare, & illicitos carnis motus elidere, ſolumque adi- C piſcendæ perfectionis propoſitum indelebiliter cuſtodire;

*Petr. Dam.*

Nec ejusmodi meditatione vereamur vitã corripere, nam hæc potius, ſic dixerim, vitam prorogabit. Quis plùs omnibus in hoc mundo vixit? *Mathuſala.* Et *Mathuſaël* etiam diutiſſimè vixit: hic *poſtulans mortem;* ille verò *ſpolians mortem,* Hebr. & Syriacè interpretantur, ut hinc liquidò intelligas, mortem cogitantem, D ac poſtulantem non propterea citiùs mori, quin potiùs diutiùs vivere: illi etenim quotidie mortem poſtulabant, mortem cogitabant, & mors ab eis quodammodò fugiebat.

*Gen. 5.*
*Gen. 4.*
*Hebr.*

Qui nec verbum de morte libenter audiunt, potiùs dicendi ſunt mori citiùs. Per Iſaiam Dominus: *Clama.* Non dic, ſed *clama,* quia obturatis auribus audire E nolunt. *Quid clamabo, Omnis caro fœnum.*

*Iſai. 40.*

Mortem itaque cogita: nec tibi ipſi inaniter ſæculum promittas; quia tandem mori debes. Idem Mathuſala poſt nongentos ſexagintanovem annos mortuus eſt tandem, qui propterea non ſolùm *Spolians mortem,* ſed etiam *Spolium mortis* interpretatur.

*Gen. 5. Hebr.*

# DE IVDICIO, materia Orationis.

## *De horrore Iudicis, & Iudicii.*

## PVNCTVM CXXXII.

B Quis è Iudice in ſede majeſtatis ſedente explicet horrorem? *Eratq;* (Aſſuerus) *terribilis aſpectu, cumq; elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.* Heu! quis hic, ô Eſther? Rex certè: ſed tamen maritus, conſors tuus; licèt *ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus* C *regiis, auroq; fulgens.* Quid times? Cur exanimaris? Quòd non vocata advenerim. Sed audi. *Ego ſum frater tuus, noli metuere. Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus,* vel *pro hominibus hæc lex conſtituta eſt. Accede igitur, & tange ſceptrum.* Nec his ad ſe rediit. *Cumq; illa reticeret, tulit auream virgam, & poſuit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eam, & ait: Cur mihi non loqueris?* Cui tandem: *Vidi te, Domine, quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor* D *meum, præ timore gloriæ tuæ. Cumq; loqueretur, rursùs corruit, & penè exanimata eſt.* Heu, iterùm exanimis; etſi tot, tantisq; blanditiis excepta, oſculo, ſceptro aureo, brachiis Regis? Quid, cùm peccator Chriſtum Regem Regum videbit in ſede majeſtatis ſuæ, illamque faciem intuebitur, non plenam gratiarum, ſed indignationum? Quid, cùm non in ſignum cle- E mentiæ ſceptrum aureum, ſed gladium divinæ, ac emeritæ juſtitiæ in ſe converſum videbit? Cùm non audiet: *Non pro te,* ſed in te, *hæc lex conſtituta eſt: Ite, maledicti, in ignem æternum?* Cùm non Aſſuerus, ſed Dei Filius furorem pectoris indicabit? *Areſcentibus hominibus præ timore.* Græcè: *Exanimatis hominibus præ timore.* Heu! ſupra quam creaturam, omnem tunc temporis trementem inniteris?

*Eſth. 15.*
*Luc. 21. Græc.*

Dicitur

Dicitur Auguſtus adeò micantes ha- A
*Sueton. in Aug. c. 19.* buiſſe oculos, ut alloquentes ejus con-
ſpectum ferre non poſſent: unde quidam
miles elevatos in eum oculos mox demi-
ſit, qui percunctatus ab Imperatore, cur
mox demiſiſſet: Quia, inquit, fulmen
*Apoc. 19.* oculorum tuorum ferre non potui. O
quàm veriùs radii oculorum Filii Dei ful-
mina eſſe dicuntur! Oculi ejus, tanquàm
flammæ ignis, & de throno procedebant
fulgura, quis hæc ferat? B

*D. Greg. 27. Mor. 21.* Si jam morti proximus ſola voce, &
aſpectu cohortem illam conſtravit, quid
faciet judicaturus? quis ejus iram tole-
ret, inquit Gregor. cujus manſuetudo
non potuit tolerari?

*D. Aug. ſer. 20. de Sanctis.* Et Auguſt de timore Herodis, dum
Chriſtus adhuc vagiret: Quid erit, in-
quit, tribunal judicantis, quando ſuper-
bos Reges cuna terrebat infantis? Piè,
piè timeant Reges ad Patris dexteram C
jam ſedentem, quem Rex impius timuit
adhuc matris ubera lambentem. Vagi-
tus pertimuit, ſtillam ſermonis: heu! &
vocem magnitudinis ſuæ, & tonitrua
quàm formidaſſet?

*Apoc. 1.* Si Ioannes in umbra tantùm, imagi-
nariaque viſione, Iudice viſo, cecidit
tanquam mortuus: *Et cecidi*, inquit, *tan-
quàm mortuus.* quid erit de his, qui non D
erunt dilecti Chriſti, qui non imaginariè,
*Luc. 21.* ſed verè propriis oculis videbunt Filium
Dei venientem in nubibus cæli cum po-
teſtate magna, & majeſtate? Si dilectus
Chriſti diſcipulus præ timore penè defe-
cit, quid de inimicis Chriſti erit? quo-
modo ferent oculorum fulmina? quo-
*Apoc. 1.* modo gladium exeuntem ex ore vide-
*Rupert. Abbas.* bunt? *Et ex ore ejus gladius ex utraq; parte
acutus.* Quia lingua ei pro gladio de- E
ſeruit, inquit in hunc locum Rupert.

*Sever. ſerm. de paſſ. Matth. 28.* Severianus relatus in Catena, ad illa
verba. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus,
Angelus autem Domini deſcendit de cælo.* Si,
inquit, ſi terra tremuit, cùm Dominus
ad veniam Sanctorum reſurgeret, quo-
modo contremiſcet, cùm noxiorum om-
nium ſurget ad pœnam, dicente Prophe-
ta: *Terra tremuit, cùm reſurgeret in judi-
cium Deus?* Et quomodo præſentiam Dei
A ſuſtinebit, quæ Angeli præſentiam ſuſti-
nere non valuit?

Heu! heu! laturus olim judicium, ſed
cum miſericordia, qua concitus ut igno- *Gen. 3.*
ſceret, utique iracundia frigeſceret, au-
ram quaſi ore captabat: tamen, inquit
Moſes Barcepha l. 1. de Paradiſo, Deus *Barcepha l. 1. de Paradiſo.*
humana ſpecie formidabilis, turbidus,
difficilis, irâ tumens, & ſuo inceſſu con-
cutiens terram, atque adeò ipſas Paradiſi
B arbores preſſis veſtigiis tremefaciens vi-
ſus eſt, unde Adam aufugit, ſeſeque ab-
ſcondit: quid dum auram non captabit,
ſed ſuſcitabit zelum?

*Dominus ſicut fortis* (qui ceu debilis mo- *Iſa. 42.*
dò) *egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit
zelum.* q. d. Tot retrò ſæculis quaſi alge- *Corn. à Lap. ibid.*
re, quaſi dormire zelus Dei viſus eſt, tunc
ſuſcitabit eum, & accendet. *Diſſipabo, & Vatabl.*
C *abſorbebo ſimul.* Vatab. & Forer. *Anhela- Ferrer.*
*bo, & abſorbebo pariter.* Ducta ab his me-
taphora, qui fatigantur vel labore, vel
animi dolore & anguſtia; hoc eſt, crebro
ſingultu halitum expirabo, q. d. Tantam
edam hoſtium meorum ſtragem, ut ex
defatigatione anhelitus, ſimul expirare,
& inſpirare debeam.

*Lætabitur juſtus* (per excellentiam Chri- *Pſal. 57.*
ſtus) *cùm viderit vindictam.* *Manus ſuas*, *Hebr.*
D Hebr. *plantas ſuas* (more triumphantium)
*lavabit in ſanguine peccatoris.*

*Heu! conſolabor ſuper hoſtibus meis, & Iſa. 1.*
*vindicabor de inimicis meis.* q. d. hactenus
conſolatus ſum in operibus miſericordiæ,
indulgendo: conſolabor nunc in operi-
bus juſtitiæ, judicando, & puniendo.

*Abyſſus abyſſum invocat in voce cataracta- Pſal. 41.*
*rum tuarum.* Hodie Chriſtus hic ante
E Patrem plagarum buccis invocat miſeri-
cordiæ abyſſum pro noſtrorum peccato-
rum abyſſo: ſed homines hodie id non
conſiderant. Tunc ſpretum hoc benefi-
cium ſentient, cùm *videbunt, in quem Ioan. 19.*
*transfixerunt. Cataractæ de cælis apertæ ſunt. Iſa. 24.*
Hebr. *Ex inſidiis eruperunt*, ut olim. Heu! *Hebr.*
quid erit terroris, cùm ex inſidiis erum- *Gen. 7.*
pent cataractæ illæ, ut pluant diluvium
ignis indignationis, & iræ? Si cũ repentè
reſurrexit, ut mundo gaudia nunciaret,
custo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cuſtodes ſepulcri facti ſunt velut mortui, A
quid erit, cùm ex inſidiis prodierit judi-
caturus orbem?

Si ſolùm Crucifixi imago (in Chronic.
S. Franc. ſi rectè recordor) verſa in eos
facie, qui indevotè pſallebant, exanimes
in terram omnes dejecit, quid cùm eam
faciem non mortuam, ſed vivam, & fu-
rore plenam, non confixus in ligno, ſed
ſolutus in throno judicaturus, ac damna-
turus convertet? Et Saulus non judican- B
dus, ſed inſigni juſtificationis gratia do-
nandus, his ſolummodò auditis: *Saule,*
Act. 9. *Saule, quid me perſequeris? Ego ſum Ieſus,*
*quem tu perſequeris;* tremens, ac ſtupens
effectus eſt; quid, ſi hæc damnandus au-
diſſet?

In Gen. *Riſit Sara.* Angelus: *Quare ri-*
Gen. 11. *ſit Sara?* at illa, inquit ſacer Textus, *ter-*
*rore perterrita negavit: Non riſi.* Vnde,
quæſo, tantus terror pro hac leviſſima C
culpa? Ex eo, quòd Angelus Iudicis in-
duit perſonam: unde aſpectus ille judi-
cantis tantum incuſſit terrorem, ut tota
contremuerit. Quid, cùm Dominus
Angelorum venerit judicare cachinnos,
ſi riſus intra ſe, & non coram Angelo, ſed
poſt oſtium talem incuſſit terrorem?

Apud D. Marcum Hæmorrhoïſſa illa
poſt duodecimum infirmitatis annum D
Marc. 5. dixit intra ſe: *Si tetigero tantùm fimbriam*
*veſtimenti ejus, ſalva ero.* Quodam die in-
ter comprimentes turbas irrepſit, acceſ-
ſit, tetigit Tum Chriſtus converſus
dixit: *Quis me tetigit?* Miſera mulier, to-
ta contremiſcens. *Sciens,* inquit Marcus,
*quod factum eſſet, procidit ad pedes Ieſu.* Heus
tu, mulier, quid times? quidnam tandem
feciſti? nonne ex ſola fide tetigiſti? Vti-
que: ſed Chriſtus contactus hujuſmodi
rationem expoſcit, examinare vult. Heu E
quid de compreſſionibus, de morſibus in
Sacramentis, ſi fidelis contactus ratio-
nem expoſcit?

Iob. 4. *Quis mihi hoc tribuat, ut in Inferno* (Fer-
Vinc. Ferrer. rerius, damnatorum) *protegas me, & ab-*
ſer. de Adu. *ſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?*
Iob. 20. Donec pertranſeat pluvia illa furoris?
*Et pluet ſuper eos bellum ſuum. Mittet in eos*
*iram furoris ſui, & pluet ſuper eos bellum ſuũ.*

Mirus loquendì modus, *mittet iram.* Ef-
fectus iræ in aliquem mittimus, non irã;
quid eſſet, ſi ab irato noſtro pectore ipſam
iram extractam mitteremus? ſemper &
Deus effectus iræ, hoc eſt, pœnas, & fla-
gella immittit: tunc talis erit indigna-
tio, & zelus, ut videatur mittere iram
ſuam, non in ſuis effectibus, ſed (ita dixe-
rim) in ſe ipſa. *Et pluet ſuper eos bellum*
*ſuum.* Pluere bellum, pœnæ omnes, &
flagella huius vitæ, non niſi quatuor ictꝰ
dici poſſunt; tunc pluet ſuper caput im-
piorum integrum bellum, & bellum ſuũ.
Bella nunc ſunt bella hominum, tunc erit
bellum Dei: pluet bellum, quomodo in
pluvia gutta guttę indeſinenter ſuccedit;
ſic tunc tormentum tormento ſuccedet,
bellum ſuum: & ideò venit in nubibus,
ut pluat bellum ſuum.

*Ex tunc ira tua, de cælo auditum feciſti ju-* Pſal. 75.
*dicium.* Ad litteram de Angelis depulſis,
poſſumus & dicere: Ex tunc, ex quo
peccare cœpiſti, ita quaſi flumen in Dei
pectora collecta eſt, ac patienter retenta.
*Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ut parturiens* Iſai. 42.
*loquar.* Sept. *Tacui à principio: num ſem-* Sept.
*per tacebo, & ſuſtinebo? Diſſipabo, & abſor-*
*bebo ſimul.* Quaſi flumen ruptis margini-
bus, ac repagulis, quod omnia diſſipat, &
abſorbet; mirum quàm patienter tole-
ret, quam diſſimulet peccata hominum
propter pœnitentiam. Sed *num ſemper*
*tacebo, & ſuſtinebo?*

Quoties Sol iſte ſuum peregit curſum,
iterumque peregit, antequam finem pec-
candi faceretis? Quoties Luna teſtis fa-
cta eſt eorum, quę commiſiſtis in tene-
bris? Sed num perpetuò orietur vobis
Sol iſte invitus? num Luna ſemper pu-
denda veſtra conſpiciet? *Expectatio crea-*
*turæ revelationem filiorum Dei expectat.* pro- Rom. 8.
priè ex Græco verbum illud *Expectatio,* eſt Græcè.
anxia ſtatione, ceu milites, expectant,
quid ſibi faciendum ſit ad Imperatoris
nutum. O terrorem! *Et pugnabit pro eo*
*Orbis terrarum contra inſenſatos.*

Quò confugies miſer? quem patro-
num rogabis? quem Sanctorum appella- Luc. 21.
bis? Nullum *Erunt ſigna in Sole, & Luna, &*
*ſtellis.* Nunc Sol in ſignis: ſed tunc ſigna
in Sole.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Sole. Signa ſunt Sancti: ſignum magnum, Sanctiſſima Virgo Nunc Sol juſtitiæ Chriſtus eſt in ſignis influens gratias, juxta interceſſionẽ Sanctorum, per quos tranſit: ſed tunc erunt ſigna, hoc eſt, Sancti in Sole Chriſto. Conceptus Bernardi: *Abſorpti ſunt juncti petræ Iudices eorum.* Hoc eſt, inquit Bernard. abſorpta eſt voluntas Sanctorum à voluntate Chriſti, ad effectum juſtitiæ. Signa in Sole, id eſt, Sancti Judices in Judice.

*D.Bern.*
*Pſal.104.*

*Et corrues hodie, & non reſurges,* (quia *non reſurgent impij in judicio:*) *& nocte tacere faciam populum tuum* Sanctorum,) & Matrem ſuam (Virginem.) O horrendam noctem!

*Oſea.4.*
*Pſal.1.*

Heu! præcipua ratio ſpei meæ, fiducia mea, advocata mea tacebit! quin *facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Heu! heu! in diluviis noſtrarum tribulationum, & majorum calamitatum mitiſſima, ac ſine ullo felle columba hæc ſemper olivæ virentis ramum, ſ, em ſcilicet p. æferebat: tunc erit iræ plena. *A facie iræ columbæ.* Sic infrà, *A facie gladij columbæ.* Non olivam amplius, ſed gladium ore geret: nimirùm abſorpta eſt à voluptate Filii.

*Ierem.25.*
*Ejusd.46.*

Ex cujus viſceribus gladius exibit: *Et de ore ejus gladius,* &c. Quis non contremiſcat, quis non horreat? Ex viſceribus illis pietate, & charitate plenis exibit gladius! Quomodo? Tam alienus a gladiis, ut mutuò quondam acceperit, quando in novaculâ conductâ radebat, ut eſt apud Iſaiam c. 7. v. 20. tunc gladium extrahet à viſceribus! Quomodo hæc mutata ſunt viſcera, ut ferrum gignant? O peccatum, quod Dei viſcera mutas! *Et gladius meus devorabit carnes.*

*Apoc.1.*

Horreamus, Fratres, & caveamus, ne incidamus in manus Dei viventis Quicquid paſſus eſt Job, contactus fuit manus Dei, ſed ligatæ: *Manus Domini tetigit me.* Contactus ſolùm fuit amiſſio bonorum omnium, ſubſtantiæ, & filiorum, ulceratio illa à planta pedis uſque ad verticem capitis, ſed alligatæ manus, unde & dixit: *Solvat manum ſuam* Quid erit, quid erit, inquam, cùm Deus ſolvet manum, & bra-

*Deut.32.*
*Iob.2.*

*Speranza Scripturæ ſelectæ.*

A chium nudabit? Ergo *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicij ejus.* *Apoc.14.*

Timor facit conſiliativum: ſi hic timor non facit, ut optimum de ſalute capiamus conſilium, actum eſt de nobis.

*Ariſt.*

Idem Philoſ. Qui fulgura non pertimeſcit, fortis non eſt dicendus, ſed demens, ſed temerarius, &c.

*Idem.*
*Fulgura non timens non fortis eſt, ſed demens.*

Solùm *à conſpectu throni*, inquit Joan. *fugit cælum, & terra.* Quid, terra, fugis? B Nónne ſemper herbas ſeminaſti? Nónne tu, cœlum, in orbem ſemper, ut Deus præcepit, rotatum es? Heu! tremere videntur impeccabiles, & inſenſibiles creaturæ, quaſi propriarum naturarum rationem redditura.

*Apoc.20.*

Sed certè, ſi dixerim, tremunt, quia peccator, qui ſolus tremere deberet, nequaquàm tremit: cui, quanta futura ſit tremoris occaſio, ex ipſo nunc ſapientis C ore perpende. *Et accipiet*, inquit Sapiens, *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum,* &c. Ubi D. Bonav. Hic tangit ſupplicium reproborum ſub metaphora Regis arma moventis contra ſuos adverſarios. Et primò deſcribit Regis propoſitum; ſecundò ejus apparatum, *Donec,* &c. tertiò bellum: *Ibunt directè*, quartò belli effectum: *Et ad eremum perducet* quintò belli remedium: *Melior eſt* D *ſapientia,* &c.

*Sap.5.*
*D.Bonav.ib.*

*Et accipiet armaturam zelus illius.* Hugo Card. In primo adventu venit ſine armatura, & ideò *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras & attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Unde admirantes Angeli dixerunt ei: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* & dixit: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me* Sed in ſecundo veniet armatus: arma autem ejus ſunt ve- E ritas, juſtitia, & judicium, ſecundùm Gloſſam. Et non ſolùm ipſ erit armatus, ſed etiam *Armabit creaturam,* id eſt omnia elementa. Bonav. ſcilicet tanquàm exercitum ſuum, ſecundùm illud infrà: *Creatura enim tibi factori deſerviens exardeſcit,* vel *excandeſcit in tormentum adverſus injuſtos.* Nunc creaturam in univerſum non armat, ſed aliquam in particulari: verbi gratia, armat pluviam, non armat do-

*Hug. Card. ibid.*
*Iſa.53.*
*Chriſtus primùm inermis venit, ideò & vulneratus.*
*Zach.13.*
*Gloſſa.*
*Poſthac veniet armatus.*
*Sap.16.*
*Et omnem creaturam armabit.*

mum, in quam recipiaris, ac protegaris: armat ignem, non armat aquam; ſed tunc creaturam omnem armabit, ignem, aquam, terram, aërem, omnia elementa.

Heu! ſi modò creaturæ, quaſi inermes, tanta vi præditæ ſunt, tantúmque aliquando nocent; quantùm nocebunt armatæ, ac à Deo ipſo in ultionem inimicorum armatæ? Olim irrepſerunt ranæ vel in ipſa Regis Pharaonis cubicula. *In penetralibus Regum ipſorum.* Quid? cubicularii, non adeſtis? cohortes, non obſiſtitis, ne ranarum exercitus Regem invadat? Non: obſiſtere non valemus: quia Deus in Pharaonē illas armavit. Animalculum à Deo armatum quantùm poteſt, ut aliàs muſcæ illæ, quę habebant in alis hæc ſcripta verba: Ira Dei? Quid, cùm leones, tigres, ignem, fulgura, cælum armabit?

*Exod. 8. Pſal. 104. Vel ranæ ab illo armatæ inexpugnabiles.*

Arma nunc deſcribit, thoracem, galeam, & ſcutum. Sed quænam arma hæc? Protectionis ſunt arma. Nunc his nequaquàm armatus videtur, quilibet enim peccator eum offendit, ſed tunc armis defenſionis armabitur. Et quænam hæc erunt? *Induet pro thorace juſtitiam.* Thoraci, ſive loricæ juſtitiam aſſimilat: quia ſicut lorica, totum corpus protegit: ſic juſtitia Judicem. *Iuſtitia indutus eſt pro lorica. Et accipiet pro galea judicium certum.* Alii: *judicium rectum.* Hugo Card. quia ſine errore judicabit, juxta illud: *In judicio non errabit os ſuum.* Nunc poſſunt errare Judices (& ô quàm ſæpè errant!) unde eorum judicium non tam certum, aut rectum eſt, ut aliqua quandoque non detur appellatio: ſed tunc accipiet Deus judicium certum, judicium rectum, unde nulla omninò detur appellatio. *Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, non enim ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitiâ,* &c.

*Iſa. 39. Alij. Prov. 16.*

Sed dicet peccator: Nunquid ſolis defenſionis armis armabitur, & non impugnationis? *Acuet autem,* ſubdit immediatè, *diram iram in lanceam: diram* vocat ad differentiam iræ præſentis, quâ leviter, ac ſuaviter iraſcitur. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Sic uterque Cardina-

*Habac. 3.*

A lis. *In lanceam;* qui attinget etiam quæcunque remota, & penetrabit. *Miſiſti iram tuam. Et pugnabit pro illo Orbis terrarum contra inſenſatos.* Gregor. offenſo Creatore, omnis creatura offenditur. Horribile bellum, de quo Job: *Memento belli, nec ultrà addas loqui.* Pergit arma impugnationis narrare. *Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & ad certum locum inſilient.* Bonavent. Hic deſcribit bellum ſecundùm diver-

*Exod. 15. Iob. 4.*

B ſas acies creaturarum: & primò introducit ignem: ſecundò aërem: tertiò aquam: quartò ventum, ſeu turbinem de terra procedentem. *Ibunt directè emiſſiones fulgurum.* Nunc tortuosè, & obliquè fulgura dimitti videntur: quid mirum, ſi quandoque templa, juſtúmque feriunt? Sed nunc *Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & ad certum locum inſilient.*

Bonavent. Scilicet ad malos tantùm,
C ita quòd bonos non tangent. Pergit: *Et à petroſa ira plena mittentur grandines.* Petroſa ira propter effectum, quia petris ſe manifeſtabit. Sic Græcè: *& à petras jaciente ira plenè;* vel quia infrangibiles, & duræ ad inſtar petrarum erunt grandines: vel quia hæc ira inferetur à Chriſto, qui petra dicitur.

*Græc.*

Adhæc, *Et excandeſcet in illos aqua maris;* fiet enim mare fervidum, turbidum &
D ſpumoſum, nā juxta Hier. ſe eriget ſuper altitudinem montium. *Et flumina aquarum dulcium concurrent duriter,* id eſt, fortiter. Tandem, *Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis.* Hugo Cardin. id eſt, ſententia Judicis. *Et tanquàm turbo venti dividet eos,* ſcilicet à bonis, de qua diviſione magis dolebunt impii, quàm de ipſa ſuſtinentia ſupplicii gehennalis, ut dicit Auguſt. in quorum perſona Oſeas: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe inter fratres*
E *dividet.* Et Matth. 25. *Separabit eos ab invicem.* ô ſeparationem! *Et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum.* Bonavent. ad eremum, id eſt, locum horribilem, & ſterilem, & omni bono carentem. *Perducet omnem terram;* id eſt, omnes terrenos: *Iniquitas illorum,* id eſt, propria iniquitas, non aliena, ſecundùm illud Iſaiæ: *Ambulate in flammis, quas ſuccendiſtis vobis.*

*Hieron. Oſeæ. 13. Iſa. 50.*

Quod-

*In Vit. Pat. apud Roſ. lib. 5. libello 3.*

Quodnam tanti mali remedium? *Melior eſt ſapientia, quàm vires.* Initium autem ſapientiæ, timor Domini, qui quantùm ſit ſalutaris, attende. Frater quidam interrogavit Abbatem Ammonem, dicens: Dic mihi aliquod verbum. Dixit ei ſenex: Vade, & talem fac cogitationem tuam, ſicut faciunt iniqui, qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant: Ubi eſt Judex, & quando veniet, & in ipſa expectatione pœnarum ſuarum plorant. Ita & Monachus (dic tu, quilibet Chriſtianus) debet ſemper ſuſpectus eſſe, & animam ſuam objurgare, dicendo: Væ mihi, quomodo habeo adſtare ante Tribunal Chriſti? & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur ſemper ſic meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe. Sed jam timori, ac terrori rigorem addamus.

---

*De rigore Iudicis, & Iudicii.*

## PVNCTVM CXXXIII.

*Dan. 7.*

IVdicium ſedit, libri aperti ſunt.* Quid? Judicium ſedit? Judex ſedet, non judicium. Hoc tempore Judices potiùs ſedent, quàm judicium: tunc ipſum ſedebit judicium.

*Iob. 7.* *Hebr.* *Pſal. 142.*

At hoc quàm rigoroſum! Quondam Job fiducia quadam videbatur hoc ſibi judicium ſubire poſſe, ſeipſum diſcutiebat, nec remorſum quidem vanæ cogitationis ſentiebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine;* quin nec paſſus otioſi remorſum habebat: *Si ambulavit in vanitate pes meus.* Nemini injuriam fecit, neminem decepit, &c. unde ait: *Appendat me in ſtatera juſta.* Hebr. *In ſtatera juſtitiæ, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.* Sed ubi judicium ſedit, exclamavit: *Et pondus ejus ferre non potui.* Heu! ſpirituum ponderator eſt Dominus, & pondus ejus ferre non potui. Gregor. hoc eſt, examen divini judicii. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis. Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia* A *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

*Pſal. 88.*

In primo adventu thronus Chriſti præſepe eſt, hic à paſtoribus adoratur, ſed in ſecundo *thronus ejus, ſicut Sol.* Quis ſe abſcondet non ſolùm à calore, ſed à fulgore ejus, quando non ſolùm Judicis oculi erunt lucidiores Sole, ſed ipſa judiciaria ſedes erit Sol? in quas tenebras abſconderis? Sol illuminat profundiora maris, B Sol intrat abditiora terræ, in Sole atomi videntur: ſic ad illius ſedis lucem abditiſſima videbuntur, atomi ſubtiliſſimarum cogitationum cernentur.

*Hebr. 4.*

Annon atomi ſunt, & minutiſſima ſunt ſubtiliſſimæ cogitationes? *Sed vivus eſt ſermo Domini, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogita-* C *tionum, & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis ejus.*

*Iſa. 7.*

*Radet Dominus caput* (omnium cogitationum) *& pilos pedum* (quoruncunque affectuum.)

*Pſal. 67. Sap. 6. 1. Reg. 2. Hebr. Iob. 13. Sept.*

*Confringet Deus verticem capilli,* nedum capillum, ſed verticem capilli. *Et cogitationes veſtras ſcrutabitur.* 1. Reg. 2. *Et ipſi præparantur cogitationes.* Hebr. *Numerantur* D *cogitationes.*

Et Job: *Veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Sept. *Vſque ad radices pedum meorum peracuiſti,* vel *perveniſti.* Metaphora ex Anatomiſtis ducta eſt, qui pellem, cartilagines, membranulas, venulas, omnia adinveniunt, diſtinguunt, oſtendunt. Sic anatomiam, ſic dixerim, faciet omnium membrorum: oculorum, ſi obtutus ille ſit purus, ſimplex, neceſſarius: aurium, E an verbum illud auditum, aut prolatum ſit otioſum, nec ſibi, nec aliis proficuum: manuum, pedum, & radicum eorum. Sic Auguſt. Nec ſolùm, inquit, intentionem, ſed radicis ejus medullam intimam diſertiſſima tuæ lucis veritate colligis, numeras, intueris, & conſignas: ut reddas unicuique non ſolùm ſecundùm opera, & intentionem, ſed etiam ſecundùm ipſam interiorem abſconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis.

*D. Auguſt. Solil. c. 4.*

*2. Cor. 5.* *Tertull. l. de Reſur. carnis.* *Græc.*

*Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque, prout geſſit.* Tertull. Omnes nos, ſi omnes, & totos; & totos, interiores, & exteriores, tam animas, quàm corpora, manifeſtari oportet. Græc. *Perlucidos eſſe, ſeu tranſparentes eſſe, inſtar corporis diaphani, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* Græc. *Quæ; ad quæ geſſit;* nimirùm actus, intentiones, &c.

B August. O quàm magna eſt nobis indita neceſſitas juſtè, rectéque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis!

*Gen. 18.* *Hebr.* *Græc.* *Chald.*

*Quæ* (nimirùm Sara) *riſit occultè* In Heb. Græc. & Chald. *Quæ riſit intra ſe* Et tamen: *Quare riſit Sara?* O rigorem!

*Dan. 7.* *Iob. 14.* *Sept.* *Alij.* *Chald.* *Iudicis ſupremi exactiſſima trutinatio.* *Vulgata.* *Hebr.* *Sept.*

*Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Et quid notatum? Vel adoleſcentiæ errata, delicta omnia: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.* Sept. *Signaſti meas iniquitates in marſupio.* C q. d. in theſauris iræ. Alii; *In ſudariolo,* quaſi unius numi rationem habeat. Chal. *Signatum eſt in libro memorialium delictum meum, & acumulas ſuper iniquitates meas.* Vulgata: *Sed curaſti iniquitatem meam;* ſummo ſtudio nimirùm pernotaſti iniquitatem meam. Hebr. *Adjunxiſti iniquitati meæ;* nimirùm gravitatem, quam ego minorem putabam. Sept. *Annotaſti, ſi quid invitus tranſgreſſus ſum,* vel ſubreptiones, D vel motus primò primos, ut eos examines; &c. Quid tu nunc peccata venialia non curas? Credis Evangelio? Ut credas, audi: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddet rationem de eo in die Iudicij.* O puritatem divinæ legis, quæ nec nævum admittit! Sed; ô dementiam eorum, qui peccata venialia, quaſi nulla ſint, rident, per quæ verè poſſent æternè cruciari! Quid? E miraris? Peccata venialia in Inferno æterna pœna puniri Theologorum conſenſio eſt: ſed inquit Cajet. id per accidens, hoc eſt, ratione ſtatus, in quo ſemper manet culpa, &c. utcunque ſit. Verbum illud otioſum curioſus ille obtutus æterna pœna puniri poteſt: at quis hæc æſtimat? quis liber ab his?

*Matth. 12.* *Etiam venialium peccatorum, & otioſorum verborum.* *Cajet. 3. & q. 87. a. 5.*

*Iob. 5.*

*Si cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus* A *quantò magis abominabilis, & inutilis homo?* *Si cœli, ſi Angeli,* ſic transfert Chaldæus, & interpretatur Orig; *Si cœli,* id eſt, Sancti, & ipſi Beati ſecundum Aug. & Ambroſ. *Si cœli* (corpora illa cæleſtia ſecundùm alios) *non ſunt mundi,* licet tales communiter appareant; reverà tamen tales in Aſtronomorum oculis non ſunt, nam acutiſſimè in his ſuas maculas vident: *Quantò magis abominabilis, & inutilis homo?* B Cajet. *Quantò magis putridus* Vatab. *Fœtidus.* Complet. *Corruptus* Chald. *Immundus.* Pagn. *Contemptibilis.* Sept. *Graveolens homo?* quaſi diceret, ſi in Angelis ſuis reperit pravitatem, quid in peccatoribus reperiet?

*Chald.* *Origen.* *Aug. & Amb.* *Alij.* *Cajet.* *Vatabl.* *Compl.* *Chald.* *Pag. & Sept.*

Hinc David: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis ſervo tuo.* Mi David, quid aliena formidas? Heu in illo judicio quàm propria erunt, C quæ aliena putantur! *Delicta quis intelligit?* Qui delinquit? Falleris: Non planè intelligit. D. Auguſt. & D. Thom. ajunt, Adam non putaſſe tranſgreſſionem illam notabilem, ſed venialem. Quod ſi primus pater non intellexit, putas tu intelliges? O quanta putabis levia, quæ graviſſima erunt! Quanta nunc velata velo ſanctitatis, nudata facie, inquit Anſelm. apparebunt ingentia peccata!

*Pſal. 18.* *Peccata aliena cur pertimuit David.* *D. Auguſt. & D. Thom.* *Adam tranſgreſſionem ſuã putavit venialem.* *Anſelm.*

D Auguſt. Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam. (Loquebatur cum Deo de matre.) Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis, &c. Sed væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.

*D. Auguſt. 9. Confeſſ. 13.*

*Pavor tenuit me, & omnia oſſa mea perterrita ſunt:* Ubi Gregor. Quid per oſſa, niſi fortia facta ſignantur? De quibus & per E Prophetam dicitur: *Dominꝰ cuſtodit omnia oſſa eorum.* Et ſæpè ea, quæ agunt homines eſſe alicujus momenti æſtimant, quia diſtinctionis intimæ quàm ſit ſubtile judicium, ignorant. Sed cùm per contemplationem rapti ſuperna conſpiciunt, ab ipſa aliquo modo præſumptionis ſuæ ſecuritate liqueſcunt, & tantò magis in divino conſpectu trepidant; quantò nec bona ſua digna ejus examine, quem conſpiciunt.

ſpiciunt, penſant. Hinc eſt enim, quòd is, qui fortia operando profecerat, per ſpiritum ſublevatus clamabat: *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* Ac ſi diceret: Carnes meæ verba non habent, quia infirma mea apud te funditùs ſilent. Oſſa autem mea tuæ magnitudinis laudem dicunt, quia ipſa quoque, quæ eſſe in me fortia credidi, tua conſideratione contremiſcunt.

Pſal. 33.

Hinc eſt enim, quod Manuë, viſo Angelo, pertimeſcens, dicit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Quem uxor protinùs conſolatur, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet.* Quid eſt hoc, quod ad viſionem Angeli vir fit timidus, mulier audax, niſi quòd nobis, quoties cæleſtia demonſtrantur, ſpiritus quidem pavore ſe concutit, ſed tamen ſpes præſumit? Inde namque ſpes ad majora audenda ſeſe erigit, unde turbatur ſpiritus, quia ea, quæ ſuperna ſunt, prior videt. Quia igitur, cùm altiora ſecretorum cæleſtium ſublevata mens conſpicit, cuncta humanarum virium ſoliditas contremiſcit, rectè dicitur: *Pavor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.* Ac ſi apertè diceretur Subtilitatis intimæ arcana percipiens, inde me apud me fortem credidi, ante conſpectum Judicis intrepidè titubavi.

Judic. 13.

Diſtrictionem quippe divinæ juſtitiæ contemplantes, etiam de ipſis operibus jure pertimeſcimus, quæ nos fortia egiſſe putabamus. Ducta namque ad internam regulam noſtra rectitudo, ſi diſtrictum Judicem invenit, multis fortitudinum ſuarum finibus intimam rectitudinem impingit. Unde benè Paulus, cùm & virtutum oſſa habere ſe cerneret, & tamen ſub diſtricto examine hæc eadem ejus oſſa trepidarent, ait: *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum judico, nihil enim mihi conſcius ſum.* Sed quia auditis venis divini ſuſurrii, hæc eadem ejus oſſa contremuerunt, illicò adjunxit: *Sed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me, Dominus eſt.* Ac ſi diceret. Recta egiſſe me recolo, attamen de meritis non præſumo: quia ad ejus examen vita noſtra ducitur, ſub quo noſtræ fortitudinis oſſa turbantur.

1. Cor. 4.

*Scio, quia homo durus es,* inquit ille, *metis, ubi non ſeminaſti, & congregas, ubi non ſparſiſti.* Quid? Verúmne id eſt? Veriſſimum. Qui fieri poteſt? Ita eſt: *Metis, ubi non ſeminaſti.* Juſtitiæ nimirùm fructus, etiam ubi lex lata non eſt, inquiunt Hilar. & Hieron. *Metis, ubi non ſeminaſti;* præcidens falce judicii eos, quibus legem non commiſiſti, inquit Hugo Carenſis: *Meto, ubi non ſemino.* Idem, multo fortiùs ubi ſemino: *Congrego, ubi non ſparſi.* Interlin: quia ab his exigo, quibus non commiſi ad erogandum. Fratri Ægidio cælitùs dictum eſt: Para te, ô Ægidi, ut eorum, quæ nunquàm habuiſti, aut recepiſti, rationem reddas, quia, inquit Deus, ego dediſſem, ſi capax fuiſſes, ſi dignus fuiſſes; talis autem culpâ tuâ non fuiſti. O rigorem, quo non ſolùm habita, ſed & non habita judicabuntur! &c.

Matth. 25.

Hilar. & Hier. apud D. Thom. in Caten.

Hugo Carenſ. hoc loco.

*Deus ſtetit in Synagoga Deorum.* Et quid ibi? *In medio autem Deos dijudicat.* Ubi jam ſuprà relatus Hieron. Si Deus dijudicat, de peccatore quid faciet? *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, & adjunxiſti iniquitati meæ.* Quaſi diligentiſſimus theſaurarius, inquit quædam Gloſſa, qui quodammodò augmento monetæ diteſcit. O quàm creſcent in manu Dei peccata noſtra! Nũc ea extenuamus, excuſamus, enormitates mortales, mortalia cenſemus venialia, & hæc nulla eſſe putamus: tunc in manu Dei verum pondus habebunt, & creſcent, quia excuſationibus carebunt, &c. Auguſt. O quàm metuendus erit Judex, cujus ſapientiam non licet fallere, cujus æquitatem non licebit flectere, cujus judicium non licet evertere!

Pſal. 82.

Iob. 14.

Peccata noſtra ſub examine Dei judicis creſcent.

Auguſt. Ioan. 13.

Nazianzenus oratione de plaga grandinis: In die Judicii terroris plenum Tribunal, magíſque etiam juſtum, quàm terribile, imò ut rectiùs dicam, idcircò terribile, quia juſtum.

Baſilius ad illa verba Domini *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Beatus ille Petrus, inquit, is, qui omnibus fuerat diſcipulis antepoſitus, qui ſolus præ cæ-

Baſil. orat. de jud. Dei.

teris teſtimonio Domini laudatus, & beatus appellat⁹ erat, cui claves regni cælorum creditæ fuerant, cùm audit à Domino: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum*; quale lapideum cor non molliat ad timorem, & tremorem judiciorum Dei? præſertim cùm in hac re, nullius peccati, nullius contemptus fiat expreſſio ſed potiùs ingentis erga domnium honoris ſignificatio, dum conſentaneam ſervo, ac diſcipulo præ ſe fe ret pietatem. Cernens enim ſuum, & omnium Deum, & Dominum, & Regem, & Præſulem, & magiſtrum, & Servatorem, & breviter, qui ſimul omnia eſſet, in miniſtri formam præcinctum linteo, ſuos lavare pedes velle, mox tanquàm in contemplationem veniens propriæ, ut ſic dicam, indignitatis, & ejus, qui ad ſe accedebat, dignitatem admirans, exclamavit: *Domine tu meos lavas pedes?* & rursùm: *Non lavabis pedes meos in æternum.* In hac re tam ingentes audit minas, ut niſi rurſùm, intellectâ veritate verborum Domini, præveniſſet obediendo illam corrigere contradictionem, nihil ei ſuperiora rectè facta, non à Domino accepta beatitudinis commendatio, & dona, & promiſſiones, neque ipſa Dei, & Patris, talis, ac tanti in Unigenitum placiti, revelatio, ſatis eſſe poſſent ad peccatum præſentis inobedientiæ liniendum. Hæc ille.

*Petri pedes lavandos dare recuſantis tremenda increpatio.*

*De Iudicio, quod de his fiet, qui fictè ſpiritum profitentur.*

## PVNCTVM CXXXIV.

*Rom. 8.* *Hebr.* *Hypocritarum ingens numer⁹*

Apoſtol. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Græcè: *Etenim ſollicita creaturæ expectatio expectat, ut palàm fiant filij Dei.* q. d. Nunc tot hypocritæ ſunt, ut difficilè dignoſcantur filii Dei: veniet tempus quo techuis hypocritarum detectis, palam fient filii Dei.

*Oſea 12.*

Id quod Deus minatur per Prophetam: *Occurram eis, quaſi urſa raptis catulis,* &c.

A Hebr. *Diſrumpam clauſuram cordis eorum.* q. d. tunc, quæ in tam clauſo, & occulto corde habuerunt, palàm fient, cùm præ indignatione clauſuram cordis eorum diſrumpam: Tunc humilitas apparebit ſuperbia; ignis amoris, gelu, charitas, invidia, patientia, ira, jejunium, gula, contemptus mundi, ambitio, tunc ſub habitu ſpiritualis hominis fictio & duplicitas apparebit, ſub modeſtiæ habitu carnalis B cogitatio conſtabit. *Hebr.*

*Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus.* Ad quid, Domine? q. d. coram cælo, & terra agendum *Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper habitatores Ieruſalem.* Quid? ab his judicium? Sic. *A Sanctuario meo incipite.* Septuag. *A Sanctis meis incipite.* Sic Petrus: *Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei.* Sic Joan. *Datus eſt calam⁹ ſimilis virgæ* (ſine flexibilis) C *ad metiendum templum Dei, altare, & adorantes in eo.* Nunc quid in Judica, & in Jeruſalem? *Sophon. 1.* *Apoc. 11.*

*Et diſperdam de loco hoc reliquias Baal.* Heu! quis ibi adhuc idolorum reliquias crediidiſſet! O quot in his, qui vel ſpiritum profitentur, idolorum reliquiæ! Idololatria erat ſenſui, & carni vacare, & hæc erant idola Babyloniæ: ſed in Jeruſalem, in ſervitio Dei, horum idolorum reliquiæ D ſunt quædam vanitates, conſolatiunculæ, & deliciæ, quas adhuc retinent. &c. Hi ſunt, qui *Iurant in Domino, & jurant in Melchom.* Hieron. Qui ſæculo pariter, & Domino putant ſe poſſe ſervire, & duobus Dominis ſatisfacere, Deo, & Mammonæ: qui militantes Chriſto, obligant ſe negotiis ſæcularibus, & eandem imaginem offerunt Deo, & Cæſari. *Sophon. 1.* *D. Hier. in hunc locum.*

*Et viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt* E *veſte peregrinâ.* Quid ſibi vult veſtis peregrina? Inquit Hieron. quòd cujusque propria veſtis eſt, quam quisque induit in Baptiſmo. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Hæc propria Chriſtiani veſtis eſt, quæ eum à capite ad pedes veſtiat, quæ Chriſtum referat, Chriſti virtutes, & geſta imitetur: peregrina verò eſt huic contraria, & omninò diſſimilis. Super hac veſte indutos viſitabit, &c. *Hieron.* *Gal. 3.*

Aut

*Hypocritæ hiſtriones virtutum.* *D. Ambr.*

Aut veſtis peregrina ea dici poteſt, quã quis induit, ut alium referat, ut eſt habitus hiſtrionum, quo quis ſe alium fingit. Hæ ſunt fictæ virtutum veſtes, quibus ſeſe hypocritæ veſtiunt, hiſtriones virtutũ. Sic Ambr. Nec propriè magis, quàm hoc titulo vocare poterat, hiſtriones virtutum. Tunc, tunc, peracta ſcena viſitabit ſuper eos, nudabit eos.

*Sophon. 1.* *Septuag.* *Hebr.*

*Diſperierunt omnes involuti argento.* q. d. B Videbantur liberi, & omninò hiſce rebus exuti, ſed involuti erant argento, quo tumebant juxta Sept. *Erecti argento, aut elevati argento.* Sed miſeri, per quod inaniter elevabantur, per idem miſerè deprimebantur, juxta Hebr. *Portatores argenti, aut onuſti argento.*

*Chald.* *Hebr.*

*Et viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Chald. *Et animadvertam in viros, qui ſumma tranquillitate fruuntur divitiis ſuis.* C Hebr. loco *defixos*, eſt *congelatos.* O quàm verum! Congelati abſque ulla ſcintilla charitatis. *Et erit fortitudo eorum in direptionem.* Chald. *Et erunt eorum divitiæ in ſpolium*, quia nimirùm omnibus nudabuntur.

*Chald.* *Joſeph. 7. de bello Iud. c. 17. 20. & 26.*

*Et ſcrutabor Ieruſalem in lucernis.* Chald. *Et conſtituam perveſtigatores, & perveſtigabunt Ieruſalem.* Ad litteram, vel abditiſſimus locus perveſtigabitur, quod in excidio illo factum eſſe ſcribit Joſephus his D verbis: De cloacis quoque, & ſpeluncis, & ſepulchris extracti ſunt Principes, & potentes, & Sacerdotes, qui ſe in eis metu mortis abſconderant. Sic fiet eo tam formidabili tempore, à cavernis, à centro, ſi tam intus quis intraret, extrahetur. Hoc ſibi vult: *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*; id eſt, quanquàm Sol obſcurabitur, & ſtellæ cadent de cælo, & Luna non dabit lumen ſuum, non deerunt tamen lu- E cernæ, quibus quilibet locus diligentiſſimè perveſtigetur.

*D. Bern. ſer. 55 in Cant.*

Sed quid eſt, quod vult ſcrutari? Jeruſalem? Audiamus hoc loco Bernardum dicentem: Valdè timendum eſt ſcrutinium Judicis, acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquet oculus ejus. *Scrutabor*, inquit, *Ieruſalem.* Quid tuum in Babylone, ſi in Jeruſalem manet ſcrutinium? Puto hoc loco, Prophetam, Jeruſalem no- A mine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Jeruſalem converſatione honeſta, & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi, qui de Babylone ſunt, vitam in turbatione vitiorum, ſcelerúmque confuſione vaſtantes. Denique illorum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio: mea autem, qui videor eſſe Mo- B nachus, Jeroſolymita, peccata certè occulta ſunt, nomine, & habitu Monachi adumbrata, & idcircò opus erit ſubtili ea inveſtigari diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Divinè, ut ſolet.

*Hebr. 4.*

Ad hoc lucernarum lumen videbitur, quænam ſit vera virtus, aut vitium: quænam ſit caro, qui verò ſpiritus: tunc enim gladius ille faciet diviſionem animæ, & C ſpiritus, & diſtinguet: Hæc eſt caro, ſenſus, proprius amor, & hic ſpiritus, amor Dei, intentio recta, &c. nunc difficillimè omninò ſeparantur; tũc verò optimè, &c.

*Iſa. 1.*

At quæ confuſio, cùm in his diſcuſſionibus, ac ſejunctionibus aliqui erunt ſine ulla virtute? *Confundemini ſicut quercus, defluentibus foliis.* Pulchrior ſimilitudo eſſe non poterat. Haſce quercus vidiſtis? in vere, & æſtate, ut foliis contectæ! Hic D quercuum honor, ut vireſcant foliis: ſed in hyeme, ut abſque foliis confuſæ! Sic in vere inanis opinionis aliqui virent, qui poſteà defluentibus non veris virtutibus in hyeme judicii confunduntur.

*Pſal. 28.* *Genebr.* *Titelm.*

Tunc *revelabit condenſa.* Genebr. Decorticabit, nudabítque condenſas ſylvas propriè dejectis arboribus, & ramis. Titelm. Sylvæ condenſæ dicuntur propter frondium, foliorum, & ramorum denſi- E tatem.

*Gen. 3.* *Gen. 31.* *Ezech. 8.*

Tunc ergo aſſumi non poterunt fici folia ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ad peccati turpitudinem operiendam. Non erunt tunc ſtramenta camelorum, ſubter quæ idola Laban obteguntur. Non erit tunc opus templi parietem fodere, ſed per apertum undequaque hoc templum latentes introrſum abominationes toti Orbi patebunt. D. Petrus Judicii diem tempus reſtitu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Act. 3.* reſtitutionis appellar: *Vſque in tempora reſtitutionis*, tunc etenim unicuique ſuum reſtituetur, bono præmium, iniquo pœna, hypocritæ dedecus, ac ignominia. Nunc plerique, quod proprium non eſt, ſed alienum, ſibi vendicant; hypocrita ſanctitatem, &c. ſed veniet, veniet tempus reſtitutionis, &c.

*Oſea. 2.* *Convertar, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. Et revelabo ſtultitiam ejus in oculis amatorum ejus, & ceſſare faciam ſolennitatem ejus*, &c.

---

*De confuſione impiorum in die Iudicii.*

## PVNCTVM CXXXV.

*Nahum. 3.* *D. Baſil. l. de vera virginitate.* R*Evelabo prudenda tua.* Baſil Non confuſè, aut ſummatim, aut indigeſtè peccata noſtra cernentur; ſed ſingula per partes, ut ſeſe habent, velut in pictura, noſcentur. Exempli cauſa, quando ad patrandum quiſque adulterium properans *Peccata noſtra, utut geſta, olim patebunt.* à lecto ſurrexit, quibus paſſibus incedens uſus eſt, quo motu corporis, lentiore, aut concitatiore, quem habitum, dum progrederetur, aſſumpſit, & qua ex parte irrumpens, uxorem alienam violavit, quo item ordine huic mulier ad nefandum opus ſe ſubſtravit, &c.

*Gen. 39.* Sic videbitur injectio illa oculorum impudentiſſimæ illius fœminæ in Joſeph: aſſidua illa moleſtia, quam mulier illi dabat: ars illa, preces illæ, munera illa, lacrymæ illæ, quomodo pallium ejus apprehenderit, &c. Quæ omnia ad amuſſim, ut acciderunt, cælum, & terra videbit.

*Pſal. 89.* *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum* (vitam noſtram univerſam) *in illuminatione vultus tui.* Tunc, ut *Pſal. 49.* *D. Aug. ib.* alibi dicit, *Arguam te*, &c. Ubi Auguſt. *Damnandorũ confuſio & ſui ipſorũ intuitu.* Quando Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Arguam te, inquit. Et quid tibi faciam, arguendo te? quid tibi faciam? Modò te non vides, faciam, ut te videas: quia ſi te videres, & diſpliceres tibi, placeres mihi; quia verò te non videns placuſti tibi, diſplicebis mihi, & tibi: mihi, cùm judicaberis; tibi, cùm ardebis. Quid enim tibi faciam, inquis? Conſtituam te ante faciem tuam. Quid enim vis latere teipſum in dorſo tuo? ibi es, non te vides: facio, ut te videas. Quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam: videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas.

*Et ponam contra te omnes abominationes tuas, & abominationes tuæ in medio tui erunt.* *Ezech. 7.*

Quis exprimat ruborem vultus ejus, qui ſibi conſcius eſt, quæ in vita perpetraverit? *Erubeſcant impij, deducantur in Infernum.* Benè poſt peccatorum ruborem, Inferni meminit, quia ruboris pœna talis ac tanta erit, ut poſt eam non niſi Inferni pœna ſuperſit. *Pſal. 30.*

*Avertantur ſtatim erubeſcentes.* Hieron. *Avertantur ad veſtigium confuſionis ſuæ.* Tropus indicans perſequentem: etenim premere alterius calcaneum, eſt eum proximè ſequi. Alii: *Avertantur pro mercede confuſionis ſuæ*; id eſt, operum ſuorum pudendorum. Sic Genebr. *Pſal. 69.* *Hieron.* *Genebr.*

Quin ferè dicam, major erit pœna ruboris, quàm pœna Inferni. In Apocal. *Et vidi, cùm aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræmotus magnus factus eſt: Sol factus eſt niger, tanquàm ſaccus cilicinus; & Luna tota facta eſt, ſicut ſanguis, & ſtellæ de cælo ceciderũt ſuper terram, & cælum receſſit, ſicut liber involutus, & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt, & Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni: & quis poterit ſtare?* Siſtite nunc: Hi Principes terræ tunc unde venient? Ab Inferno, ubi nunc ſunt. Et quò fugere, & ubi ſe abſcondere volent? Mediis montibus irruentibus in Infernum. Et quis poterit ſtare cum tam intolerabili confuſione? Et dicent montibus: Cadite ſuper nos, & ad tegendam noſtram confuſionem cooperire nos. Hic *Apoc. 6.* *Ea confuſionis pœna penè major, quàm Inferni.*

primus

*Auguſt.*
*Hieron.*
*Judicem iratum videre Inferni doloribus pœnalius.*
*Chryſol. ſermon. 125.*

primus Infernus peccatoris, quo ipſe ſecundus ad tempus mitior eſt. Sic Auguſt. Majus tormentum malis erit, furorem Domine tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti. Sic Hieron. Damnatis melius eſſet Inferni pœnas, quàm Domini præſentiam ferrre. Sic Petrus Chryſolog. ad illud: *Mendicare erubeſco:* Confuſionem, inquit, futuri ſæculi pertimeſcit, ubi reus plùs de conſcientia, quàm de gehennæ erubeſcit incendio.

*Num. 5.*

Volens Deus de Principibus quibusdam meritas ſumere pœnas: *Suſpende,* inquit, *vel oſtenta cunctos Principes contra Solem,* ut ſcilicet ignominiâ facies eorum repleantur, nam fornicatores erant. Quod & faciet in die Judicii, inquit ad hanc figuram Cyrillus, in qua ſecretò fornicantes in publicum producet ad viſionem omni carni, ut habet Iſaias. Sic Chryſoſt. Omnia peccata in tam aperto, támque illuſtri theatro denudata, Orbi univerſo palàm ſubjicientur.

*D. Cyr. l. 14. de adorat.*
*Fornicationes ſecretæ olim patebunt.*
*Iſai. 66.*

*Gen. 3.*
*Cajet. ibid.*

O ignominiam! Non erat in Paradiſo niſi propria uxor, & ſerpens (qui, ut ait Cajetan. non abiit, ut peccati, ſicut fuerat incentor, ſic eſſet accuſator, & teſtis) & Deus ipſe: tamen tantopere confuſus eſt Adam, ut quaſi hanc ſolam pœnam pertimuerit, apertè dixerit: *Vocem tuam audivi in Paradiſo, & abſcondi me, eò quòd nudus eſſem.* Ubi Auguſt. Non adeò fuit ſtultus Adam, ut fugiens poſſe latere crederet, ſed tanto pudore affectus eſt, ut fugere ſit compulſus. Heu! ſolos Dei ob oculos, qui venerat, ut eum contegeret, verecundatus eſt: quid fiet, cùm venerit pudenda detegere? *Revelabò pudenda tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

*D. Auguſt.*
*Adæ pudor poſt peccatum.*

*Nahum. 3.*

*Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignatione plena. Et viſitabo ſuper Orbis mala.* His præmiſit: *Facies combuſtæ vultus eorum.* Ex Hebr. *Facies flammarum,* vel *rubentes, ut flamma, vultus eorum;* hoc eſt, præ pudore erunt uſq; adeò rubentes, ut comburi videantur.

*Iſa. 13.*
*Hector. Pin. ibid.*
*Hebr.*

Optimè B. Thom. de Villanova: Confuſio, & verecundia propria hominis eſt, quatenus homo: nam jumenta percuti,

*D. Thom. de Vil. conc. 1. Domin. Adven.*



A occidi, cremari poſſunt, non verecundari; quo fit, ut ingenuus quiſque malit aliquando ſecretò torqueri, quàm publicè confundi, & libenter quamlibet pœnam ſecretò portare, ut publici pudoris confuſionem evitet, tunc enim homo maximè ut homo punitur, quando pro delictis ſuis publicè confũditur. Tunc ergo ad confuſionẽ malorum manifeſtabit abſcondita tenebrarum, & revelabit conB ſilia cordium. Hinc dicent montibus: Cadite ſuper nos. & collibus: Operite nos, ut tantum evadamus pudorem. Tolerabiliores enim viderentur illis omnes cruciatibus, & quælibet amara mors, quàm coram Deo, & Angelis ejus, & tam gravi, multóque Senatu in tanta deformitate, nudatis criminibus, apparere. O confuſionem! latere erit impoſſibile, & apparere intolerabile.

*Verecundia propria hominis qua hominis.*
*1. Cor. 4.*
*Luc. 23.*

C Efficaciſſima hiſtoria in Vitis Patrum. Senex quidam narravit, quòd quidam, cùm Frater converti voluiſſet, & prohiberetur à matre ſua, ipſe non acquieſcebat ab intentione ſua dicens: Salvare volo animam meam. Illa verò multùm renitens, cùm deſiderium ejus impedire non poſſet, poſteà permiſit. Abiens autem factus eſt Monachus, ſub negligentia vitam ſuam expendẽs. Contigit autem, ut D mater ejus moreretur, & poſt tempus aliquod & ipſe infirmatus eſt infirmitate magna, & cùm factus fuiſſet in exceſſu mentis, venit ad judicium, & invenit matrem ſuam cum his, qui in pœna judicabantur. Illa autem, ut vidit eum obſtupuit, & dixit: Quid eſt hoc, fili? Et tu in hunc locum deductus es condemnatus? Ubi ſunt ſermones tui, quos loquebaris dicendo: Salvare volo animam meam? E Confuſus autem in his, quæ audierat, ipſe dolore ſtupidus factus eſt, & ſtabat non habens quid matri ſuæ reſponderet. Juxta diſpoſitionem autem miſericordiæ Dei, poſtquàm hæc vidit, contigit, ut repararet, & evaderet ab infirmitate, & cogitans apud ſe divinitùs factam eſſe hujuſmodi viſionem, includens ſe, de cætero ſedebat, & cogitabat de ſalute ſua pœnitens, & plorans de his, quæ egerat ſub

*In Vitis Patrũ, 2. part. c. 205.*

negligentia priùs: tanta autem erat ei intenſio, ut multi eum rogarent, indulgere ſibi paululùm, ne fortè læſionem aliquam pateretur de fletu, quem ſuprà modum ſibi inducebat. Ille autem nullo modo conſolari volebat, dicens: Si improperium matris meæ ſuſtinere non potui, quomodo Chriſti, & ſanctorum Angelorum ejus adversùm me potero in die Judicii ſuſtinere?

*Aug. Medit. c. 4.*

Ecce, inquit Auguſt. coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea, non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum, ſimúlque locutionum.

Heu! quomodo filia illa matris ſuſtinebit improperium, dum pietatem, religionem, vitæque probitatem colere videbatur, & corde ſaltem quàm immunda fuerit, apparebit: tunc mater videbit omnes obtutus, & geſtus tanta arte contectos: tunc intimas cogitationes, quas nedum matri, ſed ipſimet ſoli abditas voluiſſet. Job. 7. *Nec aſpiciat me viſus hominis.* Hanc ceu graviſſimam pœnam cupit evitare. Quid viſus hominum? Quid viſus Angelorum, & Dei? quid cum tot ſceleribus, ſi Job nihil ſibi conſcius erubeſcebat? O quàm magna eſt hæc paſſio pudoris!

*Job. 7.*

Ipſæmet meretrices nunquàm ad finē impudentiæ pervenire videntur. Examinate, ut vultis, intentionem meretricis illius coram Rege Salomone conſtitutæ, & hanc fuiſſe reperietis, voluiſſe ſcilicet pudorem de filio præfocato effugere: nam ſi filium voluiſſet ſuperſtitem ſibi dari, in Salomonis ſententiam de dividendo filio non tam ſubitò aut nunquàm cucurriſſet.

*3. Reg. 3.*

Sic animi trutina perpendite pallii illius detentionem: certè nihil aliud id fuit, quàm ignominiæ notam voluiſſe contegere, &c.

*Gen. 39.*

Studioſiùs attendite artes illas, quibus David Rex nulli ſubditus, uſus eſt, ut Uriam domum remitteret, &c. & invenietis, erubeſcentiam fuiſſe delicti, quòd ideò voluit Deus Soli innoteſcere.

Talis ac tanta eſt ejuſmodi paſſio, ut hac plerique, & pleræque devictæ, ſacrilegè Sacerdoti ſilentio propria involuant peccata. Heu! heu! & propterea æternam ſubibunt confuſionem.

*1. Reg. 11.*

*Qui me confuſus fuerit, & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.* Syriacè: *Quemcunque puduerit mei, Filius hominis etiã pudebit ejus, cùm venerit in gloriam Patris ſui cum Angelis ſuis ſacroſanctis.* Iterùm: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorũ Angelorum.* Ubi Tertull. Sciebat, inquit, à confuſione vel maximè formari negationem: mentis ſtatum in fronte conſiſtere: priorem eſſe pudoris, quàm corporis plagam.

*Marc. 8. 38. Luc. 9.*

*Tertull. in Scorpiaco.*

At peccatorum confeſſio eſt, quæ maximè peccata obtegit, per quam, quaſi Chriſti Sanguine, deformia non apparent, aut nullatenùs apparent. Ita Chryſ. Sic Deus delet peccata, ut neque eorum veſtigium remaneat. In corporibus quidem id non eſt ita, ſæpe enim cicatrix remanet: Deus autem, cùm deleverit peccata, ſic delet, ut neque cicatrix, neque cicatricis ſuperſit indicium, ſed cum ſanitate elargitur.

*D. Chryſ. hom. 3. de pœnit.*

Chryſ. rationem reddens, cur Pater ille ſuper collum pœnitentis filii ceciderit: Ne nudaret, inquit, pater filii crimina, pater ſic curat filii vulnera, ne filio cicatricem, nævum filio ne relinquat.

*Chryſ. ſer. 2.*

*Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum.* Tertull. *Vt roſeum,* quod eſt, Chriſti Sanguine rubricantia. *quaſi nix dealbabuntur.*

*Iſa. 1.*

*Terull. 4. contra Marc. 10.*

Nec deſunt Theologi, qui tunc peccata confeſſa ſentiant non apparitura: communis ſaltem Theologorum ſententia eſt, non apparitura cum rubore, ſed potiùs cum gloria pœnitentium.

*Suarez in 3. p. diſp. 57. ſect. 7.*

*1. Ioan. 3.*

*Peccata confeſſione expiata non patebunt ad confuſionem*

Bernardus ad illa verba: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Hos, ait, adverti, quaſi nunquàm peccaſſe, quoniam & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum, & dixi: *Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

*Bern. ſer. 23. in Cant.*

*Pſal. 31.*

Quæ-

*Ambr. l. 2. de pœn. c. 8. Ioan. 11. Lazarus cur ſolvi juſſus.*

Quærit Ambroſ. cur Dominus Lazarum redivivum ſolvi juſſerit: *Solvite eum;* hoc eſt, non ſolùm à pedibus inſtitas, ſed ab [illegible] re ſudarium removere: quia, inquit, ve[illegible] donatus, revelare faciem, aperire vu[illegible]um jubetur; non habet enim, quod erubeſcat, cui peccatum remiſſum eſt.

---

## *Quòd timor Iudicii utiliſſimus eſt*

## PVNCTVM CXXXVI.

*Pſal. 74. Iudicij recordatio frenum peccatorum.*

HIc valdè continet homines, ne peccent. *Dixi iniquis: Nolitè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Sed quo retinaculo, ô David? Timore Judicii: *Quoniam Deus Iudex eſt.*

*Iob. 19. Hebr.*

Hoc idem ſuccinctè, ſed efficaciter Job: *Fugite à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt.* vel Hebr. *Ira iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.*

*Pſal. 9. Hebr.*

Chryſoſt. Qui hujus diei obliviſcitur, tanquàm fræno abjecto, in præcipitium defertur. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore;* vel *parturiunt viæ illius in omni tempore,* ſterilem ſcilicet peccatorum fœcunditatem. Et cauſam affert: *Auferuntur judicia tua à facie ejus.*

*Timor abjectus cauſa omnis mali. Pſal. 35. Sept.*

Ex carentia timoris in omne facinus proruit peccator. *Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo.* Sept. *In eo tota ejus cogitatio verſatur, ut delinquat.* Unde? *Non eſt timor Dei ante oculos ejus.*

*Apoc. 1.*

Vult nobis Deus modò terrorem incutere, ut tunc non timeamus: ideò qui nunc ſtellas habet in manibus, & minas in ore, hoc eſt, gratias benignè nunc influit, & ſolùm minas intentat, proclivior ad miſericordiam, quàm ad juſtitiam, ſimul tamen & ſemel declarat, & quaſi eo gladio ex ore minatur, quòd qui nunc non vult ſtellas habere amicas, habebit cadentes.

*1. Reg. 7. Hebr.*

Arguit nunc, verum eſt, *In virga virorum;* Hebr. *Hominum languidorum, & imbecillorum,* vel ſenum, quibus mox è manibus, vel præ ſenio, vel pro amore decidit:

A ſed tunc arguet *in virga ferrea.* Alii, *In virga inflexibili,* &c. *Pſal. 2. Alij.*

Ideò ſancta Eccleſia intonat nobis in auribus Judicii terrores: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis,* ut timore concepto, & cauſa timoris ablata, nimirùm peccato, tunc minimè timeamus.

*Luc. 21. Iudicij terrorem cur incutiat Eccleſia.*

Cùm audiſſent filii Iſrael tonitrua, & fulgura circa montem, ubi Deus erat daturus legem, clamaverunt ad Moyſem: *Exod. 20.*
B *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et perterriti, & pavore concuſſi,* ſubdit ſacer Textus, *ſteterunt procul. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Plura hic obſervanda. Quid ſibi vult: *Nolite timere.* & mox: *Vt terror illius eſſet in vobis?* Volebat hunc terrorem tam rationabilem incutere, & jubebat, ne irrationabiliter
C timerent, aut more belluarum aufugerent, ſed perſiſterent, ac verum timorem conciperent ejus, qui vel in Angelo apparens, ut erat is in monte, tam formidabilis erat, utque perpenderent, quòd ſi legem daturus tam terrificus erat, quid eſſet futurus in ejuſdem legis examine? O quàm bon⁹ hic terror! ô quot bonos producit effectus!

*Act. 7. Legem daturus Deus erat formidabilis, qualis erit, cùm earum obſervantiam examinabit?*

*Vox Domini* (Genebr. Tonitru cum ful-
D mine) *confringentis cedros.* Auguſt. id eſt, ſuperbos, &c.

*Pſal 28. Genebr. Auguſt. ibid.*

*Vox Domini præparantis cervos.* Baſil. ex Græco: *Vox Domini parturire facit cervas;* tonitru nimirùm eas ut pavidas concutit, quaſdámque earum membranas, ac ligaturas exſolvit, ſicque parere facit.

*D. Baſil. ex Græc.*

Conceptus eſt Annæ in 1 Reg. *Dominum formidabunt adverſarij ej⁹, & ſuper ipſos in cælis tonabit. Dominus judicabit fines terræ.* *1. Reg. 2.*

E Annon ſimiliter detonuit Apoſt. ut obſtetricaret Felici illi infelici, ut is conceptum ſuum propoſitum in lucem ederet? *Act. 24.*

Quid aliud agit Chriſtus, quàm tonare in auribus Pilati, cujus mentem jam gravidam videbat confitendæ palàm veritatis de Chriſti innocentia? Ligaturas videbat, humanos reſpectus, ſtatus rationes, ſic cœpit eum adjuvare tonitruis, ſi quando parere voluiſſet: *Amen dico tibi, amodò* *Matth. 26.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*videbitis Filium hominis venientem in nubib⁹ cæli, cum poteſtate magna, & majeſtate.* Ad quid hic, Domine, de tuo adventu ad Judicium? Senſi, inquit Chriſtus, hunc concepiſſe, de patria, & de regno meo quærit, eſt cerva obligata, tonemus: *Amen dico tibi;* &c. Si fortè, &c. *(Chryſ.)*

*(Iob. 37.)* Sed reprobi nec his quidem commoventur. *Tonabit vocem ignitudinis ſuæ; & inveſtigabitur, cùm audita fuerit vox ejus.*

*(Proverb.)* Licet ſentiant ſtrepitus, & tonitrua, non commoventur. *Viri mali non cogitant judicium.*

*(4. Eſdr. 16.)* *Tonabit, & quis non pavebit?* aut ſurdus, aut veterno depreſſus. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.* *(Rom. 11. Theodor. Syriac. Aquila. Hebr.)* Theodor. *mentis exceſſum.* Syriacus, *ſpiritum ſtupiditatis* Aquila, *gravem ſomnum.* Hebr. *altiſſimum veternum.* Tunc tonate, ut vultis, minitamini, clamate, non audiunt.

*(Num. 22. Iudicis ſupremi gladium non timentes beſtiis ſunt deteriores. Pſal. 7.)* Beſtiis ſic dixerim pejores, & inſenſibiliores. Aſina illa, viſo Angelo ſtrictum gladium vibrante, perterrita progredi noluit. Regrediuntúrne iſti, quamvis audiant: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit?* Sed quid? *Ecce parturijt injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* En ut minæ, tonitrua reprobis non ſufficiunt: nam loco virtutis pariunt iniquitatem; cervæ morituræ.

*(Timore judicis Dei configi David optabat. Pſal 118. D. Ambr.)* Non ſic prædeſtinati, qui ſancto, ac reverentiali timore concepto tremunt, non expellunt timorem, ſed eo poſtulant carnes configi *Confige timore tuo carnes meas, judiciis enim tuis timui.* vel, ut legit Ambr. *Confige clavis timoris tui carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Sed ſi jam timuiſti, quid configi adhuc clavis timoris expoſcis? Sanctorum id eſt, magis, ac magis timere, &c.

*(Iob. 11. Græc. Hebr.)* *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Græcè: *Timor Dei continuit me, & pondus ejus.* Hebr. *Et majeſtatem ejus ferre non potui.*

*(Pſal. 17. Timor Dei immaculatum cuſtodiebat Davidem.)* Ut ex hoc timore proficiebat David! *Et ero immaculatus eorum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Quo medio, ſanctiſſime Rex? *Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli à me.* Ut mali faciunt, qui in longinquum hunc diem rejiciunt: *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* *(Iſa. 30.)* De quonam? Ab eo longinquo; quod ſibi effingunt, nolunt enim prope ſe hunc timorem, ſed longè expellunt: hic enim amaricat illis conſolationes omnes, conturbat eos, ideò procul pellunt, ſed ab hoc longinquo venit tandem, & æterno eorum terrore juxtà fiet.

Sancti nunc timere voluerunt, ne tunc timerent. *Confige timore tuo carnes meas.* *(Pſal. 118.)* Configendus eſt hic timor, Fratres, & in intimo corde figendus: ſic ad inſtar Cruci affixi caro non dimovetur, &c. O quàm pauci confixum hunc habent timorem! Timet ille, ſed mox obliviſcitur. Non habet confixum timorem. Ille alius audito ſermone de Iudicio formidat: ſed paulò pòſt ridet. Non habet confixum timorem: O clavi ſancti timoris, quàm nos utiliter configitis! *(D. Chryſ.)*

In mentem reducant, quod de quodam Oratore refert Chryſ. homilia quadam, qui volens à quibuſdam contra artem dicendi geſtibus cavere, quoſdam in ſuggeſto clavos confixerat, à quibus, ſi geſtus fuiſſet confractior, pungeretur. Heu! is ſeſe clavis monebat, ne quid contra oratoriam artem peccaret: nos ne contra Dei legem peccemus, ſancti hujus timoris clives non configemus?

Sed nos nec hujuſmodi clavis configi volumus, nec tonitrua metuimus, nec tubas illas tam terrificas formidamus: quin his omnibus inſenſibiles, & ſurdi *(Ioſu. 6.)* perfecti perfectè ſumus, & quævis alia cogitamus. Et hinc, licet toties circumſonuerint hę tubę, quoties ſancta Eccleſia per anni circulum in auribus noſtris inſonat, hi muri tamen non corruunt, &c. vanitates non decidunt, &c. O *(Num. 10.)* ſurditatem!

Ad primum tubæ clangorem juſſerat olim Deus filiis Iſraël, ut Arcam congregarentur, ad prolixiorem verò, ut caſtra moverent. Myſticè per id nobis innuitur, ut cumprimum nos ægritudo invadit, cumprimùm inſpirat nobis Deus, ſive internè, ſive externè per terrores mortis, aut Judicii, ad Sacramentum curramus: ubi verò prolixiores audierimus tubarum clangores, ingraveſcente jam morbo, profectionē paremus, affectus omnes

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hinc evellamus, &c. Heu! prolixiores audimus clangores, nec movemur: aut certè non audimus, & ſurdi ſumus, &c.

---

## *De timore iniquorum, & ſpe juſtorum tempore Iudicij.*

## PVNCTVM CXXXVII.

ETſi dies illa tam formidabilis, támque horribilis futura ſit, ut ex ſignis ipſis, quæ initia erunt dolorum reſpectu eorum, quæ ſupervenient univerſo Orbi, homines areſcant. *Areſcentibus hominibus,* ſive Græcè, *Extabeſcentibus hominibus, nam virtutes,* Græc. *Exercitus cælorum,* Sol, Luna, & ſtellæ, *movebuntur, in terris erit preſſura gentium.* Pagnin. hoc eſt, coarctatio, animi anguſtia, perplexitas, conſilii inopia, ut quò ſe vertant homines neſciant, quæ confuſione ſonitus maris, & fluctuũ. &c. Quis tamen crederet, quod hæc eadem ſigna, tam horribilia peccatoribus, juſtis fiduciam præbebunt? *His ergo fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* q. d. Hæc ſydera cadentia nõ mortẽ vobis, ſed tam ſempiternam portendunt, non vobis hyems iſta erit, ſed ver. *Flores,* dicere licet, *apparuerunt in terra noſtra, ſicut protulit groſſos ſuos. Videre ficulneam, & omnes arbores,* &c. propè eſt regnum Dei, gaudete.

Luc. 21. Græc. Pagnin. Cant. 2.

Ut gaudebunt ad aſpectum Crucis! ut vexillum illud adorabunt! ut ad illud confugient, ſub quo in vita quieverunt, ſub quo gloriosè pugnaverunt! *Dediſti metuẽtibus te ſignificationem.* Hebr. *vexillum, ut fugiant.* Rabbi David, *ut vexillentur.* Genebr. *ut erigantur,* Alii, *ut vincant.* Tigur. *ut triumphent,* &c. *Vt liberentur dilecti tui.* Hebr. *Et liberabuntur amatores tui.*

*Crucis dominica aſpectus exhilarabit juſtos.* Pſal. 59. Hebr. Rab. Dau. Geneb. Tigur. Hebr.

*Vexillum ejus ſuper me, amor,* dicebat anima illa in Canticis, & jure: nam ſicut vexillum convocat ad ſe milites, lætitiam eiſdem affert, cùm explicatur, & ab aliis militibus diſtinguit: ſic Crucis vexillum,

Cant. 2. juxt. Sept.

A cùm ſit vexillum amoris, juſtos convocat, afficit lætitiâ ex memoriâ infiniti in ipſos oſtenſi amoris, & à cæteris diſtinguit.

Hoc ſignũ Thau eſt, quod ipſi in fronte habebunt, ut percuſſores Angeli ſinant eos abire impunes. Ezech. 9.

Tinctos ſe Agni ſanguine videbunt, quod erit eorum fiducia. Tutæ erant domus, quarum ſuperliminare ſanguine tinctum erat. Ubi Rupert. Sanguinem

Exod. 12. Rupert. lib. 2. in Exod.

B Chriſti in ſuperliminaribus domorum ponimus, cùm Crucem paſſionis illius in fronte portamus. Quanta ergo fiducia, & lætitia perfundentur, qui Crucem in fronte cordis inſculptam ſemper in vita portaverunt? *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.* Quod eſt, juxta D. Hieronym. & Hugonem Cardin. ſub brachiis Crucis Chriſti ſperabis, & fiduciam habebis.

Pſal. 90. D. Hieron. & Hug. Card. ib.

C Sed impii, cùm primùm parebit vexillum illud glorioſum, contremiſcent, ac ceu inimici Crucis Chriſti, ad ejus conſpectum plorabunt. *Et plangent omnes Tribus terræ.* Græcè: *Et ejulabunt, & præ doloris impatientia corpus dilacerabunt.*

Matth. 24. Græc.

Videre eſt modò ſub horam judicii particularis, in morte cujuſque, diſcrimen hoc. Ut inimici Crucis ad aſpectum ejus pallent! tremunt nimirùm videre eum, D quem in ea Cruce contempſiſſe ſe meminerunt, Judicem formidant; & ideò exire de corpore trepidant: ſed qui de ſua ſpe, & operatione ſecurus eſt, inquit Gregor. lætus Judicem ſuſtinet, & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis exhilareſcit, & ideò quamvis animam agens, ſine calore, & colore ſpirans, ad ejus aſpectum reſumit vires, reviviſcit ei color, & præ devotio- E nis affectu tenerrimè amplectitur, ac deoſculatur Crucem. *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis!* Bern. O mors, quàm dulcis es homini habenti pacem in plagis Chriſti!

D. Greg. hom. 13. in Evang. Eccl. 41.

*Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo* (Oculis juſtorum) *& accelerat coruſcationes emittere judicij ſui* (in condemnationẽ iniquorum.)

Eccl. 43.

Hinc iridem geſtat in capite, ſignum

Apoc. 1.

fœderis inter ſe, & terram, ut non fugiat Juſtus, ſed confugiat.

*In Reſp. Defunct.*

Hac ſpe illectus Job ajebat: *Ubi me abſcondam, ubi fugiam, niſi ad te, Deus meus?* Quo tempore impii effugium, ac refugium non invenient, quippe qui a Deo fugiunt, juſti ad Deum confugient.

*Chriſti vulnera perfugium juſtorum. Iſa. 2.*

Juſto aperta erunt ipſa vulnera in refugium. *Abſcondere in foſsá humo à facie furoris Domini.*

*Cant. 2. D. Auguſt.*

*Veni, columba mea,* (quę ex diluvio aquarum multarum ſervata es) *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* D. Auguſt. Arcæ feneſtram, latus dicit eſſe apertum, in quod juſti animam, ceu columbam, ut ingrediatur, invitat. D. Bernard. ſerm. 61. in Cant. Ubi tuta, ſecuráque ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? In his ſe columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem.

*D. Bern. ſer. 61 in Cantic.*

*Pſal. 31. Hebr.*

*Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me* Heb. *Tu es latibulum meum, erue me à volitantibus ſuper me In caverna maceriæ.* Alii: *In latibulo graduum*, ſive, *in latebris ſcalarum* Alluſio ad loca tutiſſima, & munitiſſima, ad quæ non niſi difficillimis ſcalis pervenitur.

*Exod. 33.*

In Exod. ad Moyſem: *Eſt apud me locus, & ſtabis ſupra petram, & tranſibo, & abſcondam te in foramine petræ, & manu mea protegam te* Quis tutior eſſe poteſt? quis in pectore Chriſti abſconditus timebit?

*Pſal. 103. Alij. Hebr.*

*Si montes excelſi cervis, petra refugiū herinaceis,* Alii, *Cuniculis.* Alii, *Leporib⁹*, ex Hebr Hoc eſt, ſi altiora cælorū refugiū ſunt Angelorum, qui veluti cervi perſpicaciter intelligunt, intuentur, & citiſſimè quovis feruntur, petra Chriſtus erit refugium pavidis leporibus, qui ceu plebs imbellis, dicuntur prudenter ponere in petra cubile ſuum. Lepores fugati, ne à perſequentibus canibus dilacerentur, ac loca munitiſſima petrarum ſe recipiunt.

*Prov. 30.*

*Zach. 9.*

Ad hæc vocantur: *Convertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuncians, duplicia reddam tibi. Vincti ſpei*, hoc eſt, vincti, ac veluti captivi ipſius ſpei, non quidem inviti, ſed voluntarii ob unam ſpem vitæ æternæ; ceu lepores obſeſſi, & vincti, ab aliis capti, in carceres, & vincula con-

A jecti, ludibriis, & contumeliis affecti, verberibus cæſi ſine ulla defenſione, ab ea ſpe ligati, convertimini nunc ad munitionem, ad quam nullus improborum accedit, ubi ſecuri duplicem corporis, & animæ gloriam conſequemini.

Vulnera igitur ſacratiſſima Chriſti, munitionis erunt locus, ad quem juſti confugient, quæ propterea videndo gaudebunt. Et hæc eſt una ex cauſis, ob quas B Chriſtus vulnerum cicatrices ſervare voluit, ad fiduciam nimirùm, ac lætitiam bonorum, & malorum terrorem in Judicio. Unde Auguſt. lib. de ſymbolo: Inimicis, inquit, vulnera demonſtraturus eſt ſua, ut convincens eos, dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. C O terrorem! ô formidinem!

*D. Aug. l. de ſymbolo.*

Sed ô fiduciam! ô ſpem juſtorum! quibus ipſe dicet: Ecce in manibus meis deſcripſi vos. O latus! ô chara vulnera! *In caverna maceriæ.* Adhuc Alii: *In circuitibus rupis.*

*Iſa. 49.*

Hinc anima illa in Cant. *Revertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum.* Hoc eſt, ad judicium veni, mitis, & inermis, ſicut cervorum hinnulus, D non in forma irati Dei, ſed ſanè in ea, inquit Bernard. in qua non modò natus, ſed & parvulus natus es nobis: quo admoneatur infirmo miteſcere in die iræ, meminerítque in Judicio miſericordiam ſuperexaltare Judicio, etenim, ſi iniquitates obſervaverit etiam Electorum, quis ſuſtinebit? Et ideò Pater dedit Filio Judicii poteſtatem, non quia ſuus, ſed quia Filius hominis eſt: vult per hominem hoE mines judicari, quo in tanta trepidatione, & perturbatione malorum electis fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo, ut qui cælum, terramque movebit in virtute ſuâ accinctus potentia contra inſenſatos, ſuavis nihilomin⁹, & mitis, & quaſi omninò inermis appareat propter electos.

*Alij. Cant. 2.*

*D. Bern. ſer. 73. in Cant.*

Hinc David: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.* Vel Chald. *Deus itinera rigoris tui, vel ſententiam judiciorum*

*Pſal. 71. Chald.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ctorum tuorum Regi Meſſiæ da.* Sic alibi: *Da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filiū ancillæ tuæ,* &c.

*Pſal. 85.*

Cervus eſt animal expeditiſſimum ad currendum, cornibus adornatum, non ad læſionem armatum, unde canum, leonum, urſorum, aliarúmq; beſtiarum morſibus vehementer expoſitum. Pſalmus vigeſimus primus, qui Chriſti paſſionem ita clarè explicat, ut Auguſt. dixerit eſſe potiùs Evangelium Chriſti patentis, quàm prophetiam, inſcribitur: *Pro ſuſceptione matutina;* vel ſecundùm alios: *Pro cerva matutina;* aut ſecundùm Hieronym. *Pro cervo matutino;* quem Baſil. Gregor. Orig. & Alii Chriſtum interpretantur. Rogat itaque Sponſa, ut cum eadem manſuetudine, qua morſibus canum olim expoſitus, revertatur, idque maxima cum feſtinatione: *Revertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum.*

*Pſal. 21. D. Aug. præfa. 2. in hunc Pſ. Alij. Hieron.*

Ubi prætereà notat Bernard. impatientis, ac ferventiſſimi Sponſæ amoris affectum: nam vix abierat Sponſus, ut colligitur ex antecedentibus verbis, cùm eum ſubitò revocat. *Revertere.* Quid? inquit Bernard. modò it, modò revocas? Illum penè adhuc incipientem ire, jam tamen redire flagitas? Amor impatiens, amor intemperans facit hoc, nempe is eſt, qui in pectoribus Sanctorum hujusmodi affectus excitat, quò citiùs fruantur Deo, qui proptereà, ut inquit Apoſt. diligunt adventum ejus, cupiuntque, ut citò adveniat dies iſta, majore acti amore, quàm timore perterriti: nam ut ait Auguſt. amor reverentiam neſcit, familiariter accedit, majeſtatem non cogitat, ponit ſe in ſalutari, & fiducialiter agit in eo. Perfecta charitas foras mittit timorem, ſervilem ſcilicet; unde timor, quem tunc temporis habebunt Sancti, erit reverentialis, & filiorum Dei. Sic Greg. ad illa verba Iob: *Columnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum eius.* Ipſæ, inquit, virtutes cæleſtium, quæ Deum conſpiciunt, in ipſa ſua contemplatione contremiſcunt, ſed idem tremor non eis pœnalis eſt, non timoris; ſed admirationis, &c.

*D. Auguſt. in Man. c. 20. Amor neſcit majeſtatem. Iob. 26. D. Greg. ibid.*

*Virtutes cælorum movebuntur.* Motu iræ, & odij adverſus peccata mundi movebuntur: ſecundùm inviſitatas, ac inſolitas actiones movebuntur, inquit Chryſ. & Auguſt. timore reverentiali, qui cum ſummo amore iunctus eſt, nec pœnam habet.

*Luc. 21.*

*Amor ſolum peccatum timet.*

Amor nonniſi Dei offenſam timet. Pœnas amantem in tormentis, in ipſo Inferno, comminare illi mortem, non timet? Et quid timet? Peccatum. Tolle peccatum, & timorem non habet. Quod ſi non in hoc quis juſtificatus eſt, quod nihil ſibi conſcius ſit, cùm Dominus ſit Index futurus, ô quàm fiduciam tamen habet! &c.

Tantam, ut ad inſtar capreæ, hinnulíque cervorum poſtulet, ut revertatur. Vbi prætereà notandum, quòd dicunt hæc animalia acutiſſimi eſſe viſus. Quid ergo hæc anima oculos illos non pertimeſcet? Non, inquit Rich. ad illa verba: *Oculi ejus tanquàm flamma ignis.* Ubi memoratis quibusdam proprietatibus ignis, inquit, oculos illos igneos bonis lucis radios emiſſuros, malis verò flammas indignationis. Flamma ignis, inquit Rich. lucem, & calorem tribuit, terrorem incutit, & exurit. Oculi igitur eius veluti flamma ignis ſunt, quia electos reſpiciens illuſtrat luce ſapientiæ, calefacit amore iuſtitiæ: reprobos autem reſpiciens, terret ferocitate, comminationis, & exurit incendio damnationis. Iob in perſona reproborum: *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* David in perſona iuſtorum: *Reſpice in me, & miſerere mei;* & loquitur de Iudicio: *Da Imperium tuum puero tuo.*

*Apoc. 1. Rich. ibid. Iob. 7. Pſal. 24. Pſal. 85.*

Idem Iob in perſona propria: *Quem viſurus ſum ergo ipſe.* Hebr. *Quem viſurus ſum mihi:* Vatab. id eſt, bono meo, & ad commodum meum videbo, ſcilicet Deum Iudicem mihi, non adverſum me, ſed pro me ſententiam laturum. O verum Aquilæ congregantis pullum, qui radios ſuſtinet, qui acie non palpitat, ut ab ungue in Infernum dimittatur!

*Iob. 19. Hebr. Vatab.*

Sic eſt, Fratres, tunc Chriſtus aliquibus terrorem, aliquibus verò ſpem, & lætitiam præbebit. *Et erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Si tenebroſa, quomodo illuminabit noctem? Abulenſis ibidem ait, ex ea parte, quæ Ægyptios reſpiciebat,

*Exod. 14. Abul. ibid.*

ſpiciebat, tenebras, terrorẽmq; attuliſſe: A
ex ea verò, quæ filios Iſraël reſpiciebat,
lucem, ac ſplendorem præbuiſſe. Id, quod
Exod. 10. de tenebris illis Scriptura refert: *Factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti, nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco, in quo erat, ubicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.* Hoc idem Greg. in illud. *In columna nubis per diem, & in columna ignis*
Exod. 13. *per noctem.* In die, inquit Gregor. columna
D. Greg. hom. nubis monſtrata eſt, in nocte columna B
21. in Evang. ignis, quia Deus in judicio veniens per lenitatis manſuetudinem blandè juſtos demulcebit, peccatores autem per juſtitię diſtrictionem terrebit, &c. Quo etiam loco Greg. Tartareum ignem nocti peccatorum pręmonſtratum dicit, in ſignum futuræ damnationis, diei verò iuſtorum
Hieron. ad Heliod. blandimentum nubis in ſignum eorum æternæ ſalvationis, &c.

Hieron. ad Heliod: Veniet, veniet dies C
illa, tunc ad vocẽ tubæ pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubrè mundus immugiet, Tribus ad Tribum pectora ferient, potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt, &c. Ariſtotelis argumenta non proderunt, tunc tu, ruſticane, & pauper, exultabis, & ridebis, & dices: Ecce cruci-
Iſa. 41. fixus Deus meus, ecce Judex, &c.

*Triturabis montes, & comminues, & colles* D
*quaſi pulverem pones, ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos; & tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis.*

Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Nunquid Principes, & Magnates? Utique ſub nomine collectivo, gentes, non enim tunc ullus erit Magnatum reſpectus, ſive diſtinctio, hæc etenim nomina, Reges, Principes, &c. perſonæ, larvæque ſunt, quibus in hanc mundi
ſcenam nonnulli parent, ſed tunc larvis E
1. Reg. 2. contritis, inquit Chryſoſt. tantummodò
Hebr. operum erit inſpectio.

*Et ipſi præparantur cogitationes.* ex Hebr. *Et ei tantùm numerata ſunt opera.*

***

---

## De Inferno, materia Orationis.

### *De pœna damni.*

## PVNCTVM CXXXVIII.

D*Iſcedite à me, maledicti,* &c. *Et ligatis* Math. 25.
*manibus, & pedibus. projicite eum in tenebras exteriores.* Heu! *Ne projicias me à facie*
*tua* rogabat David. Quaſi diceret: Quod- Pſal. 50.
vis aliud tormentum patiar, hoc ſolum expoſco, ne projicias me à facie tua.

Revocare curabant illi Abſalom ab exi-
lio, annuit precibus David: *Veruntamen,* 2. Reg. 14.
inquit. *faciem meam non videat.* Quod ille ſupplicium ubi parvo tempore ægro animo pertuliſſet: Aut videam, tandem dixit, faciem patris, aut morior. Quid in æternum à Dei facie exultare?

Hujus ſolummodò Solis jam jam ocu-
los clauſurus Tobias orbatus lumine: *Præ-* Tob. 3.
*cipe,* inquit, *Domine, in pace recipi ſpiritum meum, expedit enim mihi magis mori, quàm vivere.* Quid in tenebris exterioribus æterni Solis lumine in æternum privari?

*Et iraſcetur furor meus contra eum, & de-* Deut. 3.
*relinquam eum, & abſcõdam faciem meam ab eo, &* (hinc) *erit in devorationem, invenient eum omnia mala afflictiones, ita ut dicat in die illo: Verè quia non eſt Deus mecum, invenerunt me hæc mala*

Miſer, infelixque Cain: *Ecce,* inquit, Gen. 4.
*ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Erat infelix hic expreſſa imago damnati ejecti à facie terræ viventium, & à facie Dei. Ab ea facie, quæ beat omnes intuentes, ab eo Deo, ad quem facti ſumus. Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Quomodo non ſit inquietum, non os, ſed cor extra ſuum locum? O tormentum!

Heu! nullum violentum perpetuum: at ibi violenter anima perpetuò detinebitur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN